DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. IANVARII.

M. IOANNE FORESTIER Doctore Medico Moderatore.

An ſimilium ſympathia major à ſpiritibus? 1113.

CVM omne quod conſtat & conditum eſt, boni honeſtíque obtineat rationem (nihil enim temerè vicéque fortuitâ committitur) alicujus gratiâ agere neceſſe eſt. Naturæ ſiquidem numen ineſt rebus etiam minimis, & honeſtum pulchrúmque ingenium: quarum contemplationem ſi abjectam, aut ignobilem putes, jam de te quoque debes idem arbitrari. Profani ſunt qui nihil eſſe credunt niſi illud quod manibus palpare & prehendere poſſunt: at ſubtiliſſima quæque rerum aut fugiunt aut fallunt ſenſus. Eſt autem inditum rebus ipſis primum obeundæ functionis inſtrumentum, facultatis cujuſlibet occultæ vehiculum, ſpiritus ſubſtantiâ tenuiſſimus, leuiſſimus, in agendo celerrimus, in quo eſt natura proportione reſpondens elemento ſtellarum.

CALIDVM illud aliud habet corpus & magis diuinum quouis elemento; propriámque formam, quæ poſt viuentis alicujus interitum, aliquandò ſui juris eſſe poteſt. Non tamen aër, aut ignis eſt, neque vires ab elementorum dominante formâ vel qualitatibus accipit: ſed eſt in facultatibus hujus æthereæ ſubſtantiæ, quod nunquam fuit in poteſtate cujuſcunque elementi. Eſt veluti media natura, & aliqua ratione formæ principis, & materiæ particeps, atque glutinum. In ſanguineis creditur benigna ſanguinis euaporatio. Licet autem anima in omni corporis particula ſit faciens eſſe, hoc quod eſt; non tamen abſque animato ſpiritu. Idcirco eo inſito, & influente, natura carere non poteſt vbíque ad producendum. Generantur quippe in terrâ, & humore, animalia, & plantæ: propter hoc in terra eſt humor, in humore ſpiritus, & calor animatus in vniuerſo ineſt: ita vt quodam pacto omnia ψυχῆς eſſe plena affirmares. Quamobrem conſiſtunt celeriter, cum calor ille comprehenſus, ſiue exceptus eſt; comprehenditur autem & humoribus corporis incaleſcentibus.

QVAMVIS ſimilia amica eſſe, & maximè vnionem appetere oporteat; ſimile námque à ſimili ſuo ſeparatum videtur & illud defraudare, & ipſum ab illo defraudari eſſentiæ quaſi complemento: hoc enim eſt eorum eſſe verum. Quæcunque verò ex denſis orta ſunt, denſa ſint, ex humidis humida, orianturque ſimiliter omnia, & ſimiliter occidant, atque omnium natura talis ſit, vt calidum ad calidum, frigidum ad frigidum, ſic vnumquodque feratur ad proprium locum, ad id cum quo cognationem habet, & ex quo etiam ortum eſt: ſimilium tamen cum ſimilibus fit aſſenſus major propter ſpiritum. Eſt enim principium effectiuum fortiſſimum, in ſeminibus quoque: In Pharmacis verum virtutis cum electione catharticæ, aut venenatæ qualitatis ſubjectum. In omnibus eſt inſtar ſolis: In viuentibus inſtar ſalis: In rebus inanimatis dum animæ vices gerit, ſimilia pro viribus arctiſſimo vnionis vinculo nectit. Sic Magnes ferrum trahit, attractum retinet ſpiritu, & totius ſubſtantiæ ſimilitudine.

IN prima conformatione hominis, in quo ξυμπαθέα πάντα: ſemine, & ſanguine, ſpiritibus fœcundo, vtriuſque parentis vires deferentibus, non modo ex ſimili ſimile ſecundùm ſpeciem, ſed etiam ſecundùm formam patri, vel matri plaſmat: dúmque ſpiritus ſimiles cum iiſdem humoribus in nutritionem tranſeunt, mores, affectus, vel ſimiles morbi fiunt. Non ideo admiranda matrum major, quàm patrum, erga ſuos alumnos amicitia. Eſt in ſanguine idipſum quod familiare ſingulis partibus alimentum, venoſum carnoſis, pulmonibus vaporoſum, cordi craſſum, craſſiúſque ſolidioribus membris diſtribuit; Idem etiam quo vtitur ad embryonis generationem, ad fœtus alimoniam aſſimilat. At vero ſi naſcentem adhuc reſpicias, non prius lucidum ejus ſenſorium à lumine, & coloribus, aëreum à ſonis, ab odoribus vaporoſum affici cernes; quàm tales ſympathias cum ſenſibili proprio, à ſpiritu omnia in actum mouente, fieri judices.

VT eorum quæ feruntur, & creſcunt, quando in terram veniunt, vnumquodque attrahit quod ſecundùm naturam ſibi eſt amicum, ſolis tamen accedentis tepôre paulatim accreſcente: eodem motu hominis poſt partum creſcentis à calido, ſingulis partibus etiam innato, fit nutritio. Vt pueris recèns natis lac ſolum ex matris vberibus ſufficit; ſi creſcat illorum cum ætate robur, validioribus magíſque ſpirituoſis eget alimentis. Tantáque eſt corporis, cum animâ per ſpiritum ſympathia, vt juuenes corpore, & animo fortes ſimul fateri poſſis. Eſt autem in cibo quod ſolidas partes, in potu quod humidas, quidni in aëre quod ſpirituoſas reparet? An igitur Manucodiata ſolo aëre viuere poteſt? Ideóque ſpiritus cum ſimili, vt amans cum amata re, vnum eſſe, quoad licet appetit. Atque vt hærent, & conſerunt corpora, & ſpiritus duos oſculorum conjunctione, Baſio Amoris fundamento vnus vt ſit faciunt: eadem fermè conſpiratione ſpirituum ex alimentis cum naturalibus in hepate, naturalium cum vitalibus in corde, horum verò cum animalibus in cerebro; propter humorum cum humoribus confluxionem, partiúmque cum partibus conſenſum, per venas, arterias, & neruos, generis ſimilitudine, operis ſocietate, & fauente viciniâ fit ſympathia; Quæ naturæ continuatio, conuenientia, & communis affectio eſt, duabus, aut pluribus rebus, vel ſimilibus, vel vndecunque apparentibus.

553

Ergo ſimilium ſympathia major à ſpiritibus.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius Morand.	*M. Simon Boulot.*	*M. Franciſcus Boujonnier.*
M. Ioannes Hamon.	*M. Claudius Tardy.*	*M. Claudius Lienard.*
M. Ioannes Maurin.	*M. Ioannes Foreſtier, Præſes.*	*M. Petrus de Beaurains.*



Proponebat Lutetiæ IOANNES BAPTISTA FERRAND Pariſinus, A. R. S H. M. DC. LXI